

(b) Donatio non est, quia licet ego tibi pecuniam quasi donaturus dederim, tamen tu eam non accepisti quasi donatam, sed quasi mutuam: Atqui donatio non subsistit, nisi is, cui datur, donationem acceptet. Vid. Hart. Pist. quæst. 7. civ. lib. 1. quæst. 13. Mutuum non est, quia id non nisi inter contrahentes fit d. l. 32. h. t.

XXV.

Sic si ego pecuniam quasi deponens tibi dedero, tu quasi mutuam accipias, nec depositum nec mutuum contractum. Idemque est, si tu quasi mutuam pecuniam dederis, ego quasi *COMMODATAM* ostendendi gratiâ accipi, quia nec mutuum nec commodatum contractum.

d. l. 18. §. 1. Aliâ enim opinione datur, aliâ accipitur. Jam constare oportet, quid inter se contrahentes agere velint. Ex contractu enim, in quem ab utraq; parte non consentitur, res fieri accipientis non potest, id quod probant exempla legis hujus nostræ, & text. manifestus l. in omnib. 55. ff. de O. & A.

XXVI.

Sed si tibi donassem pecuniam, ut mihi eandem crederes, an credita fieret, quæstionis est? *Ulpianus* respondet, proprietate & verborum subtilitate consideratâ neutrum fieri. *Benignius* tamen esse, ut utrumq; valeat.

L. si tibi pecuniam. 20. ff. h. t. Subtilitate autem juris neutrum fieri ided dicitur. 1. Qui non eâ mente datur pecunia, ut omninò penes accipientem maneat. Deinde etiam Donatio mera est liberalitas, l. 1. ff. de donat. At causa
adjecta